



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quarè nobis reuelatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

medium, sicuti homo inuidus facit. Deinde nec homo illam remissionem capere potest ex lege, eò quod lex suis satisfactoribus promittit præmia, Deut 26. Leuitic 16. Exod 20. si quis perfectè legem seruârit, & maledicit neglectores, Deut. 17. Ideo ex lege scire non potest, quod Deus velit gratis ignoscere.

Ideo Deus reuelat ab initio sevelle nobis ignoscere ac restituere ad vitam æternam, & hoc propter suā misericordiam, gratis propter C H R I S T V M , & non propter legis obseruantiam. Sic Genes. 3. promittit semen, id est, Christum, Galat. tertio. Quod semen est causa & fons, quod serpens nihil efficit in nobis, non nostra opera sunt causa, et si exigantur etiam: Sic Abraham dicitur Genes. 22. In semine tuo benedicentur &c. Igitur propter ipsum Christum vult misereri gratis, id est, ex misericordia, & quatenus certi de hoc essemus ad accipiendum veniam, dedit ipsum filium unigenitum victimam pro nobis, Esaiæ 53. Galat. primo, ut nunc propter ipsum nostri velit misereri. Et signanter dicitur, Gratis, propter Christum: non ut hæc particula, Gratis, excludat fidem præcedentem, & obedientiam legis sequentem, aut ut excludat pœnitentiam & fidem, sed causam iustificationis & salutis adimit nostrę dignitati fidei & operum, & transfert in C H R I S T V M , ut promissio, quod vult ignosci propter Christum, sit certa. Romanorum 4. Credere, pœnitere, operari oportet, scilicet quia cùm omnia fecerimus nos, servi simus inutiles, Luc. 17. id est, non debetur nobis iustificatio propter nostra opera operata, sed transferatur in Christum: propter illum promissa est misericordia. Hoc mysterium Dei, quod vult Deus ignosci propter Christum, accepit & gloriatur David se accepisse & intellexisse Psalm. 50. Occulta sapientia tuæ manifestasti mihi, & Christus Matthæi 2. gratias agt patri, quod absconderit hæc à sapientibus & pruden-

prudentibns, & reuelârit ea paruulis. Et Paulus i.  
Corinth. 2. Loquimur Dei sapientiam, quæ abscon-  
dita est, mundo scilicet, quam nemo principum hu-  
ius seculi cognaouit: alioqui nunquam Dominum  
gloriæ crucifixissent. Scriptum est Esai. 64. quod o-  
culus non vidit, nec auris audiuit &c. quæ præpara-  
uit Deus diligentibus illum, id est, Iesum Christum,  
& in eum credentibus. Ut igitur hoc mysterium toti  
mundo denuncietur, mandat Apostolis Marci vlti-  
mo: Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euau-  
gelium omni creaturæ, &c. Magna gratia, publica  
illa denunciatio: maximus contemptus, non obedi-  
re Euangeliu, Romanorum 10. & contemnere obla-  
tam gratiam. Hæc igitur gratia promittitur & de-  
nunciatur omnibus: Ite, inquit, in mundum vniuer-  
sum: ut pœnitentia etiam omnibus denunciatur. Gal-  
lat. 3. Conclusit Deus omnes sub peccato, vt omni-  
bus misereatur. Sic etiam est vniuersalis promissio.  
Marc. 1. inquit Christus: Pœnitemini, & credite Euan-  
geliu, id est, quotquot auditis, quia Pater vult igno-  
scere peccata propter Christum: pœnitemini, cessate  
peccare. accedite & accipite hanc oblatam gratiam,  
vt saluemini. Est igitur Euangeliu, prædicatio pœ-  
nitentiae & reconciliationis propter Christum, pro-  
pter quem etiam pronunciamut iusti, id est, accepti,  
& donatur nobis Spiritus sanctus & vita æterna: Igi-  
tur Euangeliu est sermo, quo beneficium Christi  
nobis denunciatur. Reuelatio ergo illa Euangeliij  
magna est, & cum omni gratitudine amplexanda,  
quâ Gentes & Iudæi nondum sciunt, neq; agnoscut.

Euangeliu docet primò & potissimum iustitiam  
spiritualem, æternam, id est, non alligatam certis lo-  
cis & personis, qualia sunt cæremoniæ, & iudicia  
ac traditiones & Leuitici cultus: sed spiritualia ope-  
ra, scilicet fiduciam D E I, timorem, inuocationem,  
dilectionem, gratiarū actionem, confessionem, chari-  
tatem

F

tatem